

vit cum agnis, Petro, Joanne, etc. Talis Constantinus M. qui prius in uxorem et conjunctissimos sævierat, post baptismum adeo mansuetus fuit effectus, ut declinaret occasionem sæviendi in senatum populumque sibi infensum ob religionem ideoque novam urbem, idololatriæ expertem extrueret Constantinopolim, Baron. anno 324. Talis S. Guilielmus Aquitanie dux qui prius persecutor Ecclesie et episcoporum irrisor schismaticus, S. Bernardi increpatione prostratus et mitigatus, adeoque in agnum et denique in sanctum eremitam mutatus est, ut in vita S. Bern. l. II. c. VI. idemque primo tantæ edacitatis et bibacitatis fuit, ut ei vix quovis prandio sufficerent, quæ octo robustis juvenibus pararentur cibaria; post conversionem vero pane modico et aqua contentus, magna incolumitate vixit; et scribit Theobaldus episcopus, in ejus vita, cap. I. et XXIV. apud Sur. in februar. Videtur ad hos respexisse Isaias, cum loco cit. subdit: *Leo quasi bos comedit paleas*: nec tacendum, quod ait: *Puer parvulus cibabit eos*. Hoc enim contingit in Ecclesia, ubi pastorem unum pauperem et humilem sequitur grex potentum, divitum, nobilium, civilium, agrestium; præsertim in religionibus bene constitutis, et hoc in India, China, Japonia, Brasilia.

Aliæ calamitates, quæ a bestiis, cælo, elementis et casibus fortuitis imminent hominibus, non quidem sublata, sed tamen in bonum hominum conversæ sunt. Per eas enim continentur in timore Dei, et corrigimur a peccatis, et liberamur ex parte a pœnis atrocioribus in altero sæculo luendis. Quamquam et ipsæ a piis hominibus multoties avertuntur per orationes et alia præsidia spiritualia magno cum merito. Nec desunt multi sancti, quibus bestie feroces ad nutum obedierunt adeoque jus subjectionis, quod inobedienti homini olim subtraxerunt postea obedienti restituerunt. Scimus enim leonem S. Gerasimo, ursum S. Corbiniano, cervam S. Egidio, onagrum S. Heleno, aves S. Francisco, bestias complures Josepho Anchieta ad nutum paruisse. Quare si quas creaturas nobis adversari videmus, peccatis et inobedientiæ nostræ adscribamus; dum enim Deo nos rebelles sumus, quid mirum si et nobis rebellent creaturæ? Similiter quod ad reliqua, quæ diximus attinet, si in nobis non sentiamus sanata esse hæc vulnera, nobis imputemus non Samaritano. Quid enim si ille vinum et oleum infundat nostris vulneribus, nos autem ei reluctemur? Quid prosunt medicamenta reposita in pharmacopolio, si non applicentur? Quid prodest fidei et doctrinæ evangelicæ lex, si non admittatur? Quid Christi

gratia, si eam non petamus, nec oblatae cooperemur? Quid cura et medela adhibita in sacramentis, si mox iterum descendamus ab Jerusalem in Jericho, id est, de statu gratiæ in peccatum, et rursus incurramus in latrones? Audi quid apostolus dicat de nostro Samaritano ad Hebr. V. *Factus est, inquit, omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Omnibus, inquit, sed obtemperantibus sibi. Quid ergo conqueri potes, non esse te sanatum, si medico non obtemperes? *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filie populi mei?* inquit Jeremias, c. VIII. numquid sacramenta, numquid vinum et oleum Samaritani non est in Ecclesia? Numquid Samaritanus? Minime; solum istud deest reprobis, velle obtemperare. Vere igitur Christus, noster Samaritanus est. Nudi enim et spoliati fuimus; per ejus gratiam vestiti sumus; vulnerati et semimortui fuimus; per eum sanati et roborati sumus. A Deo derelicti fuimus: eidem reconciliati et restituti sumus. Quamquam integra nostra sanitas non in hoc, sed futuro sæculo expectanda est, ubi intellectus lumine gloriæ perfecte illustrabitur, voluntas Dei amore ita inflammabitur, ut nequeat peccare; caro et passionem spiritui adamussim parebunt, corporis aliæque externæ miseriæ et afflictiones prorsus eliminabuntur. Denique, nihil est felicitas Adami, quam habuit in paradiso, respectu felicitatis illius æternæ. Audi Card. Bellar. conc. in dom. pass. « Erat Adam sapientior Salomone; erimus nos æquales angelis Dei: erat Adam fortior Samsone; erimus nos ferro, et igne et leonibus fortiores: poterat Adam non mori; nos multo feliciores non poterimus mori: fruebatur Adam magna pace; nos fruemur maxima, tantaque erit tunc concordia corporis et animi, carnis et spiritus, ut quocumque voluerit ascendere animus, statim corpus sequatur, etiam super sidera: erat Adam amicus Dei; erimus nos familiares, intimi domestici: poterat Adam non peccare; nos multo beatius non poterimus peccare: poterat ille non cadere; nos non poterimus cadere: denique, habitabat ille in paradiso terrestri; habitamus nos in cælo, in illis ornatissimis, et splendidissimis sedibus ac domiciliis angelorum. »

CONCIO VII.

DE MULTIPLI AMICITIA FALSA.

I. Amici falsi sunt qui omnia approbant. — II. Qui coram et in faciem laudant. — III. Qui obsequia deferunt. — IV. Qui socii mensæ et prædæ. — V. Propinqui. — VI. Scelerum patroni et socii. — VII. Qui vicissim amant. — VIII. Socii et comites.

THEMA.

Et quis est meus proximus? Luc. X.

Non est facilis, nec inutilis quæstio ista: *Quies est meus proximus?* Non facilis, quia causam huic quæstioni videtur dedisse lex antiqua, Lev. XIX. quæ sic habet: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*. Cum ergo incertum sit, quis amicus vel inimicus sit censendus, hinc non immerito quæritur: *Et quis est meus amicus?* Nec inutilis est: etenim ex hac ignorantia, magna proveniunt incommoda. Primo, quia nescis a quo cavere debeas: manifestos enim hostes facile vitaveris, non ita fictos amicos. Hinc Alexander Magnus cum ei vulnus obligaretur et amicus ejus Parmenio eum objurgaret, quod se in medium hostium commisisset periculum, respondit: *Tum me serva a fictis amicis, et ego me servabo ab inimicis*. Alexandrum, Alcibiadem, Agesilaum, Antigonum, Demetrium, Julium Cæsarem, Lentulum, Pyrrhum, Pompeium, amici interfecere, quos hostes non potuere. Hinc David jubetur a Gad propheta redire ad terram Juda, de terra et domo Moab, quasi securius habitaturus in terra aperti inimici, Saulis, quam in domo falsi amici et suspecti, I. Reg. XXII. Deinde, sæpe errabis in hominum dilectione, nisi severis tuos amicos: facies enim quod Davidi exprobrat Joab, II. Reg. XIX. dicens: *Diligis obedientes te, et odio habes diligentes te: quia si Absalon viveret et omnes nos occubuissemus, placeret tibi*. Hinc Rob. Holc. l. CXXXI. in l. Sap. inter humanæ vitæ necessitates, nihil ita utile existimat, ac discernere inter amicos et inimicos. Igitur Dominus hodie nobis demonstrat verum amicum scilicet Samaritanum qui *custos exponitur*: amicus autem quasi *animi custos* dicitur; dicat igitur quisque sententiam suam; nos singulas examinabimus.

I. Quidam pro amicis habent eos, qui sibi nunquam contradicunt, sed facta eorum qualiacumque laudant et approbant, vel saltem excusant: sed errant, nam Isa. III. dicitur: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*. Qui bus minatur Deus, Ezech. XIII. dicens: *Væ qui consueunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt*

cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Supponis forte in mensa cubitum cervici et dormire incipis: sed quia mensa durior est, cito expergiseris. Adest itaque famulus et pulvinar substernit cubito tuo, ac tum suavius dormis: ita potentes aliqui dormiunt in peccatis suis; sed remurmurat interim conscientia, nec multam eis quietem concedit. Quid faciunt igitur falsi amici? Excusant, imo defendunt eorum facinora, vel saltem tacendo approbant; inde domini illi jam suaviter in peccatis dormiunt. Verum ubi evigilaverint in iudicio, videbunt quales habuerint amicos, eosque execrabitur in omnem æternitatem. Hinc ergo precatur David, Psal. CXL. dicens: *Corripiet me justus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, q. d. nolo blandiloquentiam adulatoris, qui peccata mea extenuet, excuset vel fucatis coloribus pingat; correptionem potius volo. Oleum, teste Galeno, l. II. de simpl. medicam. facult. c. XXII. si rebus frigidis misceatur, frigidum est; si calidis, calidum. Ita gnathones isti. Ais? Aiunt. Negas? Negant. Instar chamæleontis enim omnes induunt formas rerum quas aspiciunt: instar echonis omnes voces referunt: instar speculi omnes formas. Oleum quidem recreat et lenit dolorem vulnerum, cæterum nimis calidum aut frigidum membro peruncto nocet, et febrim aut insensibilitatem affert, teste Anglico, l. XVII. c. CXII. ita et blanditiæ talium amicorum. Unde in præd. psalmo pro oleo peccatoris, oleum veneni legit Hieronymus. Itaque viri sapientes eos pro amicissimis habuere, qui ipsorum defectus corrigebant. David correctorem suum Nathan in magno semper honore habuit et coluit: Theodosius imp. Ambrosium, a quo sæpius etiam publice corripiebatur, præ omnibus coluit, et quasi unicum episcopum suum agnovit: ita denique Samaritanus, qui alligavit vulnera sauciati, et vinum etiam, non oleum tantum in ea infudit. Mordet vinum, oleum lenit: itaque corrigendi amici sunt, etsi non absque lenitate.

II. Quidam eos amicos putant, a quibus in facie laudantur, vel audiunt sibi placentia: sed non ita esse discimus ex Prov. XXIX. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti proximus est*, id est, qui te in faciem intempestive laudat, potius vituperat quam laudat, siquidem te velut stolidum aut sectatorem laudis traducit et confundit. Unde S. Ignatius martyr, ep. ad Trallianum ait: *Qui me laudant, flagellant*. Solent isti sæpe clam detrahare et illudere iis, quos in faciem laudant, et Judæ instar osculo velut amicum salutare, interim vero tra-

dere, aut velut Joab Amasam in facie osculari, retro pugione confodere. Sic faciebant Pharisæi Christo, Matth. XXII. accedunt ad eum velut amici et dicunt: *Magister, scimus quia verax es, etc.* non faciunt hoc veri amici: sed contra præsentibus solent arguere et reprehendere cum delinquant, absentes vero commendare. Sic faciebat Judæis Christus: præsentibus enim arguit, Joan. VIII. *Vos ex patre diabolo estis: absentes vero filios vocat*, Marc. VII. Bene Samaritanus saucii vulneribus infudit oleum et vinum: *Oleum enim foris, vinum intus homini gratissimi sunt liquores*, ut ait Plin. l. XIV. c. XXII. Itaque amici intus seu in secreto et coram existentibus arguendi, foris seu in publico et absentes commendandi sunt.

III. Quidam pro amicis habent eos, qui ipsis inserviunt, honoresque exhibent, Indos, recreationes excitant, etc. sed et isti errant, fundantur enim amici illi in dominorum, quibus inserviunt, prospera fortuna: qua sublata amici non erunt. Audi Eccles. cap. VI. *Est amicus secundum tempus, et non permanebit in die tribulationis*. Pulchre Job, cap. VI. *Fratres mei præterierunt me sicut torrens*, (Hebr. *Amici mei fefellerunt me sicut torrens*) qui raptim transit in convallibus. Nam si pluviali tempore, quo sitis viatorem non affligit facile, transeas torrentem, plenissimum reperies et uberrimum, si vero paulo post mutata tempestate et æstuante sole eundem transeat, sitias et bibere velis, ne guttam in eo reperies. Id quod S. Job in seipso expertus est, dum enim esset felix, a multis agnoscebatur amicis: ubi vero adversam fortunam et valetudinem sensit, non cognoverunt eum amplius amici ejus, nec loquebantur ei verbum consolationis, Job II. De hisdem Cicero, l. IV. ad Herennium ait: « Ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt, ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, frigore pulsati recedunt: simulque atque fortunæ hiemem viderint, devolant omnes. » Vera amicitia in adversis maxime viget tunc enim amico etiam tacente ipsa miseria ejus fidem amici implorat et requirit. Unde Seneca in Agamemnon ait: *Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt*: et Demetrius Phalereus ait: *Veros amicos adesse in rebus lætis vocatos, in adversis invocatos et ultro*, Laert. l. V. c. V. Docet hoc etiam Samaritanus, qui adest misero, in tempore necessitatis, et quidem ultro non rogatus, cum de Jerusalem (quæ visio pacis exponitur) seu statu prosperitatis, descendit in Jericho (quam lunam mensis interpretantur) seu in fortunæ mutationem et adversitatem. In Jerusalem et pace multos reperias amicos sed ubi descendis, inde in Jericho, nullos.

IV. Quidam illos amicos credunt, quos perpetuo commensales habent et sectatores prædæ. Sed hi nequaquam sunt amici, quia non te, sed tua, adeoque se potius amant et ubi viderint cessare suos census et commoda, desunt amare. Audi Ecclesiasticum, cap. VI. *Est amicus socius mensæ et non permanebit in die necessitatis*. Etiam mures ædium nostrarum de pane et cibis nostris vivunt, nihilominus tamen non cicurantur, nec fidunt nobis, quemadmodum et amici isti, quos Alphonsus rex ex Sicilia navigans comparavit avibus quibusdam, circa navim secum volitantibus, quamdiu illis escam projiciebat. Cum enim videret eas escam certatim arripere et mox iterum aufugere, ait: *Persimiles sunt his garris purpurati et curiales aliquot mei. Simul ac namque aliquod munus aut beneficium dimicantes invicem a me acceperint, profugiunt*, Panorm. l. I. de reb. gest. Alphonsi. Non sic Abraham amicus erat regis Sodomorum; cui licet præclaram navasset operam in opprimendis ejus hostibus, noluit tamen compensationem et prædam ab ipso oblatam acceptare, sed dixit: *Levo manum meam ad Dominum Deum, quia a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, Gen. XIV. Non ita etiam Samaritanus, siquidem non fecit instar medicorum quorundam, qui illis tantum medentur, a quibus lucrum sperant, inopes vero deserunt: sed gratis, cum ab ægro, utpote jam spoliato, nihil sperare posset; imo propriis expensis curam illi impendit. Multi comitantur amicum, quamdiu in tabernis pro ipsis symbolam solvit, multa ibi garræ, multi amici: sed ubi contrahit manum et rationes dividit, ibi diffugiunt, eumque non sine ira et maledictis deserunt.

V. Propinquos et necessitate aliqua sibi junctos plerique inter amicos computant: sed et hi multoties aberrant. Nam si vere hi amici sunt, cur Dominus, Matth. X. ait: *Inimici hominis domesticus ejus*: deinde, cur præcipit eos odisse, Luc. XIV. dicens: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, non potest meus esse discipulus*. Propinquos sanguinis deserit odioque haberi vult, non externos et ignotos; quia nimirum illi ut plurimum temporalia commoda nobis optant et procurant, salutem vero impediunt; quia salutis via carni est contraria. Unde S. Bern. serm. II. de S. Andrea, de ejusmodi amico ait: *Si iniquum aliquid tamquam justum persuadere tentat, a dextris est iste sed Judas est, osculo me prodit*. Talis aliquando Petrus erat, cum Christum pati volentem avertere conabatur dicens: *Absit a te Domine, non erit tibi hoc*. Sed quid audit a Domino? *Vade post me Satana: scandalum mihi es, non sa-*

pis ea, quæ Dei sunt sed ea quæ hominum, Matth. XVI. Observarunt hoc et didicerunt a Christo viri sancti, qui nullis blanditiis passi sunt se impediri a via salutis per amicos et necessarios carnis. S. Bernardum fratres, S. Thomam Aquinatem mater et fratres multis modis conabantur ab ingressu religionis retrahere: S. Gordio martyri suadebant ejus cognati, ut ore saltem Christo negaret, corde confiteretur, quo vitam tueri posset: Eleazaro suggerebant amici aliqui, ut vel simularet carnis vitæ comestionem, II. Macch. VI. At magni isti heroes minime audierunt sibilum serpentis et illecebras propinquorum. Cernimus hoc etiam in sauciato isto: nam licet ipse Judæus esset, contribules tamen ejus, sacerdos et levita, eum præterierunt; Samaritanus vero peregrinus et alienigena, misericordiam ei exhibuit, ut sic intelligas cognatos et propinquos non semper amicos esse, ut qui sæpe hominem deserant et salutem animæ ejus nullo loco habeant.

VI. Quidam pro amicis habent, scelerum suorum socios et patronos. Sed hi verius inimici et quidem capitales sunt, quia ad interitum ducunt miseros. Unde Proverb. XVI. dicitur: *Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam*. Ita lactaverunt pseudopropheta regem Achab ad bellum iniquum, promittentes ei victoriam; cum rex ibi perierit, III. Reg. ult. de his videtur locutus discipulo Dominus, Matth. X. *Sine mortuos sepelire mortuos suos*. Et quam multos tales? Quam multi tabernas cum sociis frequentant, quod non facerent soli? Quam multi in amicorum gratiam mentiuntur, pejerant, lites et contentiones, necnon inimicitias stulte in se suscipiunt? Quam multi parentes filiis provident et thesaurizant de bonis male partis? Nonne hi mortui sepeliunt mortuos suos? Nonne ducunt eos per viam malam? Contraxerat ejusmodi amicitiam malam ad iniquum prælium movendum Josaphat cum Achab, nimis tenere dicens: *Sicut ego sum, ita et tu*, III. Reg. ult. et parum abfuit, quin una cum seductore suo Achab in prælio periret; deceptus enim ab Achab, regiis indui vestibibus jussit, belli pondus in se transtulit: dum interim Achab dolose habitum mutavit. Non ita noster Samaritanus, qui saucium illum non duxit in solitudinem aut silvam, ut eum ibi relinqueret et desereret, a bestiis devorandum; sed in hospitium, ut curaret. Multi etiamnum ducunt se invicem ad tabernas et hospitia non ut sui curam gerant, sed ut vino se sepeliant, et ad orcum ducant. Sustulit Samaritanus saucium in jumentum suum et equitem fecit, qui ambulare non poterat: isti autem amici efficiuntur,

qui prius recte incedebant, postea vertigine acti passim collabantur: efficiunt ut sani in varios incidant morbos aut corporis molestias: efficiunt ut equites, qui prius abundabant, tandem fiant pedites, cum destillata per gulam pecunia incipiunt egere cum prodigo illo filio.

VII. Quidam eos pro amicis habent, a quibus ipsi vicissim amantur. Sed nec isti semper veri amici censendi sunt; ubi enim cessaveris amare eos tu, et vel uno verbo offenderis, experieris sæpe hostes: unde Eccl. VI. dicitur: *Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam*: scilicet levem ob offensam. Instar canum aliqui sunt, qui blandiuntur, dum blandiris illis; dentes exerunt, et mordent, dum vexas aut stimulas. Bombardæ etiam onustæ, quamdiu non admoves ignem, nulli sunt terribiles, patiuntur se contrectari, inspicere, moveri: at ubi admoveris ignem, omnia extrema minantur, totæ inflammantur, et neminem sine noxa accedere ad se sinunt. Ita superbi amici levi verbulo minus mellito tacti, in iram exardescunt et acerrimi inimici fiunt. Hunc de ipsis dictum videtur, Psal. CXLIII. *Tange montes et fumigabunt*. Putabat hoc idem dæmon se visurum in S. Job cum ad Deum dixit: *Tange os ejus et carnem, et tunc videbis, quod in faciem tuam benedixit tibi*: sed amici veri, qualis erat Job, non ita pervertuntur, semper amant qui vere amant, etiam factos inimicos. Docet hoc etiam noster Samaritanus; nam etsi Judæi infensissimi erant Samaritanis, eosque quibus poterant modis persequabantur, et spernebant, nihilominus saucium Judæum non est aspernatum sed quasi amicissimum tractavit. Accedit etiam David, qui tamen in dies magis advertebat sinistros Saulis erga se oculos, adeoque manifestum odium, non desiit tamen eum diligere, sed potius corripuit et impedivit Abisai, qui necem illi moliebatur: mortuum denique diris lacrymis deploravit, et ultus est occidendo interemptorem ejus, II. Reg. I.

VIII. Quidam illos, cum quibus longa consuetudine versati sunt, luserunt, biberunt, pergræcati et peregrinati sunt, pro amicis habent. Sed hanc amicitiam S. Augustinus, in quodam sermone bestiali amicitia comparat: *Duo equi manducant simul*, inquit, *et desiderant se ad aliam diem, præcedit unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum, etc.* Ejusmodi amici, tenui vinculo nectuntur, et ubi vident calamitatem proximi, eum deserunt, et cum hodierno sacerdote et levita juxta jacentem transeunt. Depinxerunt veteres fictam hanc amicitiam hujusmodi parabola. Quidam cupiens explorare amicorum et compotatorum suorum fidem, vitulum occidit, et sacco

inclusum dorso imposuit pergensque ad amicos suos tremens enarravit, se occidisse hominem, quem quidem dorso gerat et sepelire cupiat, proinde implorare opem illorum, ut occisi cadaver abscondere, seque in latibulum aliquod domus suae recipere dignentur. Venit igitur ad eum, quem principem amicorum suorum esse credebat cum sacco sanguine resperso, rogatque eum ut factum celare juvet. Sed hic illum aversari, et verbis etiam asperis repellere, negareque se socium sceleris illi futurum. Tentavit igitur aliorum amicorum animos, sed similiter repulsas est. Vix tandem reperit unicum, qui cum factum audisset: Celeriter, inquit, de via intra, nam foris hæc agi neutiquam convenit atque ita in secreta domus parte ad sepulcrum effodiendum se accinxit. Hinc ergo ille didicit, inter plurimos qui se jactant amicos, vix unum reperiri verum et sincerum. Non erant veri amici sacerdos et levita: unicus talis repertus est Samaritanus, qui nulla consuetudine, sola misericordia motus fidelis amicus fuit: de jumento suo descendit et saucium in id sustulit. Paucorum amicitia eo usque se extendit, ut cedat alter alteri commoditatem suam, et in gratiam alterius pati aliquid velit.

Multi igitur amici, pauci veri amici quia, ut Sapiens, Eccl. XXXVII. ait: *Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam copulavi sed est amicus solo nomine amicus.* Non quaerit hic Phariseus, quis sit nomine amicus, nec ita respondet Christus: sed quis re et opere, quis practice sit amicus, quis officia proximi et veri amici exhibeat, atque hunc amicum esse, eumque solum censent. Quis igitur tandem est meus amicus, meus proximus, inquit? Solus ille, qui est sicut hic Samaritanus. Quis est meus amicus? Qui te peccantem commendat, praesentem vero arguit. Quis est meus amicus? Qui in necessitate tibi adest. Quis est meus amicus? Qui sua pro te expendit, vel saltem gratis te amat. Quis est meus amicus? Qui te in bono non impedit. Quis est meus amicus? Qui in malo te non juvat. Quis est meus amicus? Qui ab amore reciproco non pendet. Quis est meus amicus? Qui vinculo charitatis, non mere consuetudinis, tibi adhæret: qui de bono tuo sibi quasi de suo gratulatur, de malo vero tuo tristatur quasi de suo: « Ille germanus est amicus, inquit S. Maximus, de charitate, l. III. n. LXXVIII. qui ingruente infortunio tribulationes, et difficultates, et calamitates in tempore tentationis una cum proximo perinde ut suas sine animi consternatione et perturbatione tolerat. » Tales nobis largiatur Christus, qui est solus verissimus et maximus noster amicus.

CONCIO VIII.

QUIS SIT NOSTER PROXIMUS.

I. Quis proximus sit divitis? — II. Fortunati? — III. Nobilium? — IV. Justi? — V. Juvenum? — VI. Cujusque?

THEMA.

Et quis est meus proximus? Luc. X.

Levis profecto quaestio est: *Et quis est meus proximus?* Nec legisperito digna. Nam si bruta interrogamus, quis sit eorum proximus, respondebunt uno ore, quodlibet individuum suae speciei sibi esse proximum. Occurrit avis avi, piscis pisci, quadrupes quadrupedi suae speciei, et mutuo se agnoscunt, quodammodo se salutant, comitantur et convalescunt, non habito respectu, num alter eorum venerit ex Calabria, alter ex Novacembla, num ater sit an albus, juvenis an senex, sanus an æger. Solus id homo ignorat. Nimirum fastus et arrogantia hominem excæcat, ut proximum non agnoscat. Testatur id Ecclesiastes, c. III. dicens: *Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic?* Ita loquebatur de Davide insolens ille Nabal: *Quis est David, et quis est filius Isai?* I. Reg. XXV. Bene ergo dixit Habacuc, c. II. *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus.* Quis nescit, quomodo ebrius a vino decipiatur? Fratres non agnoscit, et omnia duplicia videt, amicos pro inimicis habet. Talem fuisse legisperitum hunc, non ex eo tantum patet, quod hac quaestione voluerit justificare semetipsum: sed etiam ex ipso quaerendi modo, cum ait: *Et quis est meus proximus?* Quasi non obvium quemque velut proximum agnosceret. Sed non est solus iste, qui quaestioni huic facilimè respondere nescit; multi sunt, qui etiamnum ignorant eam. Et vae illis in extremo illo examine; quia actum erit de illorum ascensu ad classem aeternae felicitatis, nisi eam hic perdiscant tam practice quam speculative. Audiamus ergo et discamus.

I. Quaerit dives: *Quis est meus proximus?* Resp. breviter, pauperculus quilibet, qui praeforibus ecclesiae vel etiam domus tuae jacet, et stipem colligit. Dic enim mihi, si certam pecuniam des alicui deferendam in domum tuam, et ille gratias agens deferat in domum suam; des postea alteri aliam pecuniam similiter deferendam in domum tuam, qui eam bona fide ferat; uter horum est proximus tuus? Existimo, dices, ille qui detulit pecuniam meam in domum meam. Recte judicasti: atque ita res habet in proposito. Diviti si benefacias, deferet is beneficium in domum suam, et forte nec gratias agat: si pauperi, deferet is in domum tuam; quia in caelo repe-

ries eleemosynam tuam. Hinc Luc. XIV. ait Dominus: « Cum facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos, neque divites, ne forte te et ipsi reinvent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, caecos et claudos, et beatus eris; quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. » Ecce pauperes ferunt tibi cenam tuam in domum tuam: divites vero in suam, vel si eam referunt in domum tuam, ferunt in terrenam, non in caelestem. Itaque pauperes, quibus benefacimus, vere proximi sunt nostri: divites vero, propinqui et amici verius alieni sunt juxta id Psal. XLVIII. *Relinquent alienis divitias suas.* Eamus ad hodiernum evangelium, ibi Samaritanus vulnerato ex Domini sententia proximus factus est, quia illum juvit: sacerdos et levita non sunt vocati ejus proximi, quia non juverunt. Qui ergo tibi in extrema constituto miseria auxiliatur, ille tibi proximus est. Hoc autem tibi facient pauperes in articulo mortis seu judicii die, cum recipient te in tabernacula sua. Quinque fratres habuit epulo, quibus reliquit bona sua. Sed quid opis ab ipsis tulit, in inferno? Nihil omnino. Non ergo proximi ejus fuerunt. Lazarus vero ad fores ejus jacens, si eleemosyna a divite accepisset, utique proximus ejus fuisset, quia eleemosyna caelum ei parasset. Atque ob hanc causam S. Joan. eleemosynarius pauperes appellabat *dominos suos*, quod ab eis caelum pro eleemosyna acciperet, ut in ejus vita Leontius. S. etiam Laurent. primus Venetorum patriarcha dicere non dubitavit, divitem salvari non posse nisi dandis eleemosynis. Confirmat idem S. August. qui ait: *Dives et pauper sunt duo contraria, sed sibi invicem necessaria.* Quare illa Graecorum fabula de caeco et claudo recte in eos quadrat. Horum utroque in silva constituto, neuter exire poterat: alter quia pedibus, alter quia oculis caruit. Interunt ergo hoc consilium, ut caecus claudum tolleret in humeros ac gestaret: sic evaserunt ambo, caecus claudo gressum, claudus caeco lumen impertiens. Pauperes nonne claudi sunt, qui pecuniae nervis destituti non habent, unde vitam sustentent? Divites vero caeci saltem plerique sunt, qui nimirum terrenis opibus immersi caelestes nec curant, nec agnoscunt. Certe apost. I. Tim. VI. ait eos, qui: *Volunt divites fieri, incidere in desideria inutilia et nociva, (Graece in stulta et amentia) quæ mergunt hominem in interitum.* Quod explicans Theophyl. ait: « Quomodo non est stultum simias alere, belluas ac pisces in vivariis ac sepelis includere, equos exornare auro, intraque tec-

IV. PARS AESTIVALIS.

tum aquam ducere, ac in solo sive pavimento domus faciem veluti in speculo ob nitorem lapidum contemplari? Hæc stulta sunt ac noxia, quæ animæ divitias lædunt, sensusque absumunt. » Quid ergo caeco diviti, quid quæso faciendum, si vult emergere ab interitu, et Hercinia orci silva? Tollere in humeros suos claudum, pauperem inquam, debet, eumque suis opibus sustentare. Sic emerget, si agnoscat pauperem illum revera fuisse proximum suum.

II. Quaerit fortunatus: *Quis est meus proximus?* Resp. item breviter, abjectissimus quisque, amicis, opibus, membris omnique fortuna destitutus, qui jacet in tuo stabulo. Nam si duo ad rotam molarem alligentur, unus in summo, alter in imo; quis est proximus illius, qui supra rotam est? Nonne is qui infra? Etenim si vel parum circumagatur rota, erit superior, qui est inferior et contra. Ita res habet cum fortunato et infortunato: ille nunc elatus sedet, hic vero dejectus premitur: expecta parumper, et vertetur rota; tunc iste in alto sedebit, ille vero infra gemet. Vidit hoc oculatus quidam a rege plurimis affectus beneficiis, qui cum rogaretur, quid amplius cuperet gratiarum, respondit *clavum*, quo fortunæ rotam sisteret. Romani vero Fortunam viscatam coluerunt, ut visco glutinove eam illigarent, sibi que firmam et constantem facerent. Mauritius imp. Theodorum legatum ad Cajanum Bulgariae regem misit, ut pacem ab eo peteret. Qui talem regi historiam recensuit: « Sesostres rex Persarum a quatuor regibus a se devictis, dum in rheda traheatur, unum illorum sedulo contemplari rotam vidit. Rogans igitur, quid spectaret: Fortunæ volubilitatem, audit, quomodo mox elevet, mox deprimat: excelsa humiliet, et humilia extollat. Quo audito et ipse fortunæ volubilitatem expendens, noluit deinceps a regibus trahi. » Sed et Cajanus hoc exemplo motus pacem Mauritio dedit. Refert Nicephorus, l. XVIII. c. XXXIX. Eamus ad evangelium, annon fortunæ volubilis typus, epulo, et Lazarus? Petiit hic micam, non obtinet: postea petiit alter ab hoc guttam, neque is hanc obtinuit. Significatur hæc volubilitas in evangelio, Luc. XV. ubi initio historiae, prius fit mentio epulonis, postea Lazari: in fine contra prius Lazari quam epulonis. Quare bene S. Jacobus, c. III. epistolæ suae, vitæ nostræ cursum appellat *rotam nativitatis nostræ*, quia ut ait Boetius, l. II. de consol. prosa I. *Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lege, ne utique cum ludæi mei ratio poscet, descendere injuriam putes.* Quare Sultanus quidam captus a rege Francorum, cum